

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, Prot. n. 54162/19 CA,
Amotionis ab officio parochi, 3 dicembre 2021.

Prot. n. 54162/19 CA

Amotionis ab officio parochi

(Rev.dus D.nus X – Congregatio pro
Clericis)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante,
Pontificatus sui anno IX, die 3 decembris
2021, Supremum Signaturae Apostolicae
Tribunal, videntibus Em.mo ac Rev.mo
D.no Dominico Card. Mamberti, *Praefecto* et *Ponente*, atque Exc.mis et Rev.
mis D.nis Philippo Iannone, O. Carm.,
Francisco Daneels, O. Praem., Aegidio
Miragoli, Andrea Migliavacca, atque intervenientibus Cl.mo A. Errera, utpote
Patrono Recurrentis, Cl.mo Ae. Artiglieri, tamquam Patrono Congregationis
pro Clericis, Cl.ma M. Wegan, tamquam
Patrona Exc.mi Episcopi N, atque Rev.
do D.no Ioanne DeWitt, Promotore Iustitiae deputato, in causa, de qua supra,
hanc definitivam tulit sententiam.

FACTI SPECIES

1. Progrediente processu civili adversus
quasdam paroecias scholamque dioecesanam ad refectionem damnorum obtinendam inchoato, die 23 maii 2016 Exc.
mo ac Rev.mo D.no Y, Episcopo N notitia criminis pervenit in Rev.dum D.num
X, presbyterum eiusdem dioecesis, de delicto contra sextum cum minore. Ipse
denuntians rettulit adserta facta evenisse abhinc 45 fere annos («*in the mid-70s*»).
Ideo, die 26 maii, huius notitiae causa,

Exc.mus Episcopus N presbytero praeceptum poenale imposuit, una cum petitione relinquendi officium parochi.

2. Sequenti anno, die 29 augusti, idem Praesul investigationem praevidam perfecit, et omnia acta ad Congregationem pro Doctrina Fidei transmisit, quae die 6 februarii 2018 responsionem dedit. Ita illud Dicasterium hortatum est Episcopum ad praeceptum poenale imponendum, iuxta can. 1319 CIC, asserens Congregationem ipsam libenter praescriptioni derogaturam esse, si sacerdos vel Episcopus voluisset, ad processum administrativum inchoandum.

Ideo, auditis duobus parochis ad mentem can. 1742, § 1 CIC, Exc.mus Episcopus praeceptum imposuit, prohibens exercitium publicum ministerii Rev. do X per unum annum, eum monens ad officio parochi renuntiandum intra sequentes kalendas maii. Die 18 aprilis sacerdos petivit ut aliqua in praefato praecepto immutarentur et, adiuvante Procuratore-Advocato Diacono Z, negavit se officio parochi renuntiaturum esse intra mensem augustum. Rev.dus X enim malebat expectare conclusionem causae civilis ad damnorum refectionem, a se inchoatam mense iulio 2016, adversum virum denuntiantem. His minime obstantibus, Exc.mus Episcopus, omisso uno articulo prioris, novum praeceptum imposuit, et denuo sacerdoti proposuit officio renuntiationem, intra diem 31 maii. Eodem modo, Rev.dus X per Procuratorem – Advocatum denegationem iteravit.

3. Postea, die 14 augusti 2018, Tribunal Civile sententiam emisit pro Rev.do X, eidem pecuniam refundens, scilicet \$ 13.500. Nihilominus – processu ad parochos amovendos iuxta can. 1745 CIC mense iulio perfecto – decreto diei 28 augusti 2018 Exc.mus Episcopus Rev.dum X a parochia amovit. In praefato decreto, enim, Praesul ministerium illius presbyteri inefficax evasisse asseveravit ob praeceptum poenale eidem impositum.

Die 11 septembris 2018, censens se immerito ab hac decisione gravari, per suum Procuratorem, Rev.dus X adversus decretum amotionis remonstrationem proposuit, petens eius revocationem. Quae instantia ab Exc.mo Ordinario die 20 septembris 2018 reiecta est. Ideo, die 2 octobris presbyter ad Congregationem pro Clericis provocavit, quae autem decisionem Exc.mi Episcopi confirmavit, decreto diei 14 ianuarii 2019, nunc apud H.S.T. impugnata.

Memorari iuvat Congregationem in suo decreto arbitrium in modo decernendi in actu episcopali impugnato – scilicet, ministerium parochi ante prohibitum, postea inefficax declaratum – agnovisse, nec non eius illegitimitatem, cum praeceptum causam diuturnam non constitueret. Quamobrem, Congregatio decisionis motivum emendavit (iuxta can. 1739 CIC), et statuit causam amotionis revera fuisse notitiam delicti, scilicet *credible accusation*, secundum legem particularem vigentem in territorio illius Conferentiae Episcoporum, ex art. 9 *Essential Norms* (2006).

4. Proinde, recursus apud H.S.T. die 14 februarii 2019 porrectus est. Re dein rite discussa inter Cl.mos Patronos partis recurrentis, Congregationis pro Clericis, atque Exc.mi Episcopi N necnon Rev. dum Promotorem Iustitiae deputatum ac sedulo examinata in Congressu coram Em.mo Praefecto H.S.T. habito, recursum ad disceptationem admittendum esse die 30 octobris 2019 decretum est.

5. Ideo, nunc Collegio Iudicum dubio concordato die 21 novembris 2019 respondendum est: *An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem a Congregatione pro Clericis die 14 ianuarii 2019 latam.*

IN IURE ET IN FACTO

7. In causa disputanda apud H.S.T. duae legis violationes emeruerunt relate ad impugnatum decretum Congregationis pro Clericis, altera in procedendo ob debitam proceduram omissam, altera in decernendo ob illegitimam causam amotionis.

8. Relate ad iudicium *in procedendo*, in recursibus circa parochi amotionem, iuxta H.S.T. iurisprudentiam, cum aliqua Congregatio ut Superior hierarchicus novam decisionem tulit, vel funditus motiva immutat (cf. can. 1739 CIC), denuo procedura a lege statuta observanda in toto non est, sed partim saltem, «*in tuto positus tam iure defensionis Rev.di Recurrentis quam causis amotionis in can. 1741 recensitis*» (cf. sent. def. diei 30 aprilis 2005, coram Cacciavillan, prot.

n. 34723/03 CA, n. 12). Inde surgit necessitas Recurrenti exponendi novas probationes vel rationes, una cum facultate ei tributa sese defendendi, nam: «*Ius defensionis Recurrentis in tuto servatur, si ei significatae sunt rationes probationesque amotionis et ipsi facultas data est exhibendi defensionem apud Superiorem, qui de recursu videt*» (cf. dec. def. diei 1 decembris 2009, coram Rouco Varela, prot. n. 39689/07 CA, n. 4). Autem, ex actis constat huiusmodi citationem Recurrentis a Congregatione peractam in casu non esse.

Patrona Exc.mi Episcopi N contendit rationem expositam a Dicasterio novam non esse, cum argumentum sequens tulerit: «*non agitur de causa nova, quia accusationes iam in actis inveniuntur, immo, ad impositionem praecepti poenalis diei 3 maii 2018 conduxerunt*», immo motivum tacitum esse contentum in ratione ab Exc.mo Episcopo exposita. Eodem modo, in Restrictu pro Congregatione legitur: «*Magis quam 'causa nova', illa a Congregatione pro Clericis proposita, consideranda est ut causa magis profunde, praesertim sub adpectu iuridico, considerata, sed, certo certius, non totaliter alia*». Congregatio pro Clericis enim non putat se causam novam ferre, sed illam iam implicite iacentem solummodo prosecui. Tamen, uti Promotor Iustitiae deputatus adnotat, tale argumentum valde difficile asseveratu est, cum ipsa Congregatio arbitrium illegitimitatemque recognovisset in Exc.mi Episcopi ratiocinatione: «*The Congregation agrees that this would lead to arbitrariness if such a precept in itself were the only foundation on which such a decree was based [...] Although the penal precept*

makes it impossible for the Recurrent to carry out the ministry of his office effectively (cf. can. 528), it is not indefinite, and may not be considered prolonged».

9. Alia ex parte, H.S.T. iurisprudentia illegitima tenet motiva in decisione summarie saltem non expressa (cf. can. 51 CIC), ideo actum cassavit suffultum motivis mere implicitis: «*Qua re etiam in hac causa voto P.I. adstipulati violationem legis in procedendo patratam esse dicimus, quia decretum Magni Cancellarii Universitatis [...] motiva decisionis neque summarie, prout lex praecipit, expressit*» (cf. sent. def. diei 24 martii 2001, coram Agostoni, prot. n. 27795/97, n. 11). Ceterum, citatio seu invitatio partis recurrentis ad novam causam contestandam omni modo in actis a Congregatione pro Clericis transmissis deest et ideo ubique in iisdem caret disputatio de motivo a Congregatione allato, id est de notitia criminis, tam in phase dioecessana quam apostolica.

Omnibus bene perpensis, immutata ratione ad amotionem sustinendam, omissa debita Recurrentis citatione, ius defensionis denegatum evadit, ideo de violatione legis in procedendo constat.

10. Relate postea ad iudicium in decernendo, H.S.T. constans iurisprudentia elenchum causarum ob quas parochus amoveri potest, de quo in can. 1741 CIC, taxativum non esse autumat, immo in-

venire alias posse, dummodo in primis relatio cum bono fidelium maxime servetur: «*At vero, etsi Episcopi dioecesani potestas amovendi parochos non limitetur causis taxativis, id tamen minime secumfert Episcopum ad amotionem procedere posse propter causam diversam a bono fidelium in relatione cum ministerio paroeciali*» (cf. sent. def. diei 3 decembris 2005, coram Echevarría Rodríguez, prot. n. 33236/02, n. 8).

Eodem modo, H.S.T. Iudices docent delictum considerari posse in parochi amotione, quia vera causa de delicto promanat ob quam ministerium parochi noxium vel inefficax factum est: «*In casu praeviso a citato canone (can. 1740 CIC, ndr) parochus quidam aliquid negativum fecit ex quo eius ministerium noxium iam evasit. Hoc negativum potest etiam esse delictum*» (cf. sent. def. diei 30 novembris 2002, coram Coccopalmerio, prot. n. 28499/97, n. 25); vel, delictum causam directam esse in officii privatione tantum: «*Causa motiva in casu amotionis est noxia vel inefficacia exercitii eius ministerii (fortasse delicti causa), in casu privationis directe ipsum delictum commissum; causa finalis in casu amotionis est bonum fidelium tuendum, in casu privationis ipsum delictum puniendum; ratio procedendi in primo casu est mere administrativa, in altero poenalis*» (cf. sent. def. diei 28 aprilis 2007, coram Grocholewski, prot. n. 37937/05 CA, n. 10e).

11. Uti Promotor Iustitiae deputatus sublineat, in H.S.T. iurisprudentia repercutit formulam causae amotionis de qua in can. 2147, § 2, n. 3 iuxta Codicem 1917:

«*Bonae existimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec [...] ex antiquo eius crimine quod nuper detectum eximatur iam poena ob praescriptionem [...]*». Revera hic canon causam in specie respicit, id est delictum inventum, sed iam praescriptum. Verumtamen causa vera et directa alia est, sicuti in vigenti Codice, scilicet bonae existimationis amissio penes paroecianos vel aversio in parochum (can. 1741, n. 3 CIC). Ideo, Promotor Iustitiae deputatus concludit eadem de delicto relate ad amotionem ab officio parochi, a fortiori merae denuntiationi accomodare.

12. Hoc in casu, Congregatio ad amotionem sustinendam unico motivo sese refert notitiae delicti, scilicet *credible accusation*. Ad argumentum roborandum, Dicasterium legem particularem commemoravit, id est *Essential Norms* promulgatas a Conferentia Episcoporum anno 2006, recognitione a Santa Sede recepta. Hic est fulcrum praefatam legem particularem interpretandi, ea quae auctoritatem ecclesiasticam competentem semper ad proceduram in parochis amovendis praesertim ad causas amotionis legitimas in lege universali remittit. Ideo plus quam novam legitimam amotionis causam praescribit, lex particularis modum quo delictum iuxta legem universalem tractandum est porrigit.

Clare patet praefatas normas legem universalem non immutare, immo ad hanc reicere, uti etiam in iurisprudentia H.S.T. quoque dictum est: «*in earum* (scil. *Essential Norms*) versione reco-

gnita in praeambulo explicite statuitur agi de normis additiciis ad ius universale et in ipso n. 9 explicite statuitur agi de normis additiciis ad ius universale et in ipso n. 9 explicite nunc affirmatur rem interpretandam esse intra ambitum iuris universalis (“within the parameters of the universal law of the Church”)» (cf. sent. def. diei 28 aprilis 2007, coram Grocholewski, prot. n. 37937/05, CA, n. 14). Nam constat illam legem particularem proceduram praeviam, vel praeparatoriam censendam esse ad applicandas proceduras vel praecepta in lege universali statuta. Accuratus, tales normae proceduram et motiva ad parochos amovendos (cann. 1740-1747 CIC) complectuntur, uti in nota 7b, praefati articuli 9 (cf. *Guide to the Implementation of the U.S. Bishop’s Essential Norms for Diocesan/Eparchial Policies Dealing with Allegations of Sexual Abuse of Minors by Priests or Deacons*, Canon Law Society of America, Washington, D.C. 2003, 18-19; T. Green, “Clerical Sexual Abuse of Minors: Some Canonical Reflections” *The Jurist* 63 [2003] 418-419).

13. Rebus sic stantibus, interpretatio et applicatio *Essential Norms* a Congregatione adhibitae – ita ut *credible accusation* causa legitima amotionis censi possit – re poenam privationis officii inferunt, sine praevia procedura poenali iudiciali (cf. can. 1342, § 2 CIC). Ceterum, attento quod nec Congregatio pro Clericis nec Exc.mus Episcopus aliam referunt causam ad amotionem sustinendam, nisi praeceptum et sic dictam *credible accusation* – utraque illegitima – constat de violatione legis in decernendo quoque.

14. Relate denique ad petitam *damnorum reparationem*, cum canones de modo procedendi in amotionem a paroecia nihil de bona fama referant, canon in normis generalibus hic valet (cf. can. 220 CIC).

Hoc in casu, de asserto delicto seu de notitia criminis tractatur, de qua iuxta can. 1717, § 2 CIC: «*cavendum est ne ex hac investigatione [de qua in § 1] bonum cuiusquam nomen in discrimen vocetur*». Exinde praescripta legis, quae in processu poenali, etsi phase praevia, ab Ordinario observanda sunt, a fortiori in procedura administrativa amotionis ab officio parochi vigent. Eapropter, procedura incepta, attestatio publica quoad delictum assertum ab Exc.mo Episcopo N die 24 augusti 2018 peracta laesionem bonae famae recurrentis constituit. Proinde, haec sententia ab Exc.mo Episcopo N publicanda est, modis ab hac Signatura Apostolica infra indicatis.

CONCLUSIO

15. Omnibus sive in iure sive in facto aequae rimatis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

Affirmative, seu constare de violatione legis in procedendo et in decernendo relate ad decretum Congregationis pro Clericis diei 14 ianuari 2019.

Sententia haec affirmativa, ab Exc.mo Episcopo N publicanda est in tabulis publicis dioecesanis

Quoad expensas processuales cautio in arca H.S.T. retineatur. Partes suo Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 3 decembris 2021.

(Signati)

Dominicus Card. MAMBERTI,
Praefectus et Ponens

✠ Philippus IANNONE, O. Carm.

✠ Franciscus DANEELS, O. Praem.

✠ Aegidius MIRAGOLI

✠ Andreas MIGLIAVACCA

Et notificetur.

Die 4 maii 2022

✠ Andreas RIPA
Episcopus tit. Caeretanus
Secretarius

Marius LEITE DE OLIVEIRA
vices Praepositi Cancellariae gerens